

Vie de St. François-Xavier,

apôtre des Indes et du Japon, par le R. P. Bouhours. — Nouvelle édition revue, augmentée d'appendices, de la Neuvaine de la Grâce, et ornée d'une carte de tous les voyages du saint. — Deux beaux volumes in 8vo de XI+383 et 400 pp. — Prix 8 fr. — Imprimerie Saint Augustin, Bruges.

Res mirae a Franco-Gallo Jules Verne enarratae summopere arridebant magnumque sunt nactae successum. Agedum, at meliora sunt facienda. Curiositas lectorum cum feratur ad mira, cur non ei offerantur unacum miris literarum ac scientiae etiam fidei atque caritatis facta admiranda operaque stupenda et proinde magis extraordinaria? Quantumvis foecunda sit illa opulenta et locupletissima imaginatio, quantumvis, quaecunque aetas detexit recentiora et recentissima investigavit atque investigat, excogitat et fingit communem in usum ac fructum afferre collectaque offerre pro viribus satagat; caritas apostoli fidem spargentis in dominio se exercet finite longe ampliori totiusque patenti. Ubique terrarum fidei nuncius, religionis Catholicae missionarius, anteibat nunciis, rerum publicarum institutiones aut literarum instituta ac scientiae systemata adferentibus, atque sub omnibus coeli plagis prima colonia europaea non tabularium mercatoris, sed ara sacra, sed altare fuit. — Quot libri curiosa offerentes animosque capessentes atque perfringentes typis possent describi ex illa copia historiarum, quas primi Asiae et Africae apostoli scriptas nobis reliquerunt!

En cogitata quae evigilavere in mente nostra in percurrendo magnificum opus: Saint François Xavier de Bouhours — iam in librariam mercaturam traditum a Societate Saint-Augustin vocata, quae iamiam in lucem dicitur editura opus, quod inscribitur: Voyages du Père de Rhodes au Tonkin.

Ne plura dicam hodie de illa Vita Sancti Francisci Xaverii quid? non est ea iter extraordinarium (un voyage extraordinaire), centies sexcentisque magis extraordinarium quam omnes deambulationes vectationesque factae a D. Verne in imo mari, media in terra, per aërem nubesque usque ad lunam? Fortunae pericula resque adversae non desunt homini audacius praesumentis, ictus spectaculi nequaquam expectati ac minus etiam praevisi desperatissimum statuunt ambulantes vectique situm et habitum. Xaverius domat naturam, dominatur in eam imperatque elementis. — Quae omnia enarrantur nobili sermone XVIIImi seculi a scriptore inter optimos posito per La Bruyere, virum rei gnarissimum atque peritissimum.

Quodsi heros splendidi huius cursus Odysseae simillimi, medias per insulas et Sinenses et Japonenses suscepti, sanctus est vir canonicè promulgatus, numquid ideo minus est dignus memoratu, an minus admirandus?

Efferamus igitur laudibus permagnis tentamen editorum, qui opus praeclarum: Vie de Saint François Xavier modo inscripserunt in considerata illa bibliotheca, quae alias vocatur: Bibliothèque des Familles.